HIERONYMUS

Admont (?), 1. Hälfte 12. Jh. Seite 101r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift

KAΛYKWCIC. quam nos tumentem rosam. et nec diu so
lis dilatatis possumus dicere. Florebit autem. ut cum apostolo
pronuntiet. xpi odor sumus in omni loco. et illud cantici can
ticorum. flores uisi sunt in terra. mandragore dederunt odorem suum;
quodque in lxx ponitur. et exultabunt deserta iordanis. et in
hebraico quidem non habetur. sed possumus dicere iohannem in iordane fluuio
penitentie baptismum demonstrare. quod dominus suo lauacro
designauit atque firmauit. Et quia desolationem (tudine) figuraliter dicitur refer
tur ad gentes in qua fuit iohannes. consequenter iungi
potest iordanis. ut per desertum gentium ueniamus ad baptis
mum saluatoris; quodque sequitur. gloria libani data est ei. et decor
carmeli et saron. iuxta priorem explanationem debemus ac
cipere in qua diximus libanum templum siue ierusalem intellegi
dicente zacharia. aperi libane portas tuas. et ezechiel.
aquila magnarum alarum plena unguibus que habet ductum
introeundi in libanum. et carmelum priorem significare populum
de quo supra dictum est. et erit desertum in chermel et chermel
in saltum reputabitur. et saron eandem habere intellegentiam.
scriptura dicente. factus est saron sicut desertum. Omnis igitur
candor cultus dei et circumcisionis scientia. et loca uberri
ma atque campestria que appellantur saron. pro quibus symma
chus interpretatus est campos dabuntur deserte quondam ecclesie
et habitatores illius uidebunt gloriam domini et decorem siue altitu
tudinem dei nostri. Confortate manus dissolutas. et genua de
bilia roborate. Dicite pusillanimis siue mente curiosis. noli
te timere. ecce deus noster ultionem adducet retributionis. deus
ipse ueniet et saluabit uos. siue ut lxx transtulerunt nos.
Tunc aperientur oculi cecorum. et aures surdorum patebunt
uel audient. tunc saliet sicut ceruus claudus. et apta erit